DISPUTATIO PHILOSOPHICA
περὶ τῆς
ΑΥΤΟΧΕΙΡΙΑϹ,

Quam
DEO TER-OPTUMO TER-MAXUMO
AUSPICE,
IN
ILLUSTRI ACADEMIA SALANA,
PRÆSIDE
AMPLISSIMO & EXCELLENTISSIMO
VIRO,
DN. M. CASPARO POSNERO,
Phyſicæ Profeſſore Publico ordinario celeberrimo,
Facultatisq; Philoſophicæ h. t. DECANO ſpectatiſſimo, Patrono atque Præceptore ſuô æterno honore ac amore proſequendo, colendo,
Publico veritatis amantium examini
ſiſtit
JOHANNES Knopff/ Altenbrocâ-Hadelenſis,
AUTOR & RESPONDENS.
In Auditorio Philoſophorum,
Ad diem IV. Februarii,
Horis ſolitis.

JENÆ
Typis JOHANNIS NISII, Annô M DC LVII.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

11

CLARISSIMO ET PRÆCELLENTISSIMO

VIRO

DN. HEINRICO BANGERTO,

POLYHISTORI ET PHILOLOGO INSIGNI,

ILLUSTRIS GYMNASII LUBECENSIS CONRECTORI OPTIME MERITO,

PATRONO ac FAUTORI MEO debito officiorum cultu ætatèm proſequendo

Exercitium hoc Academicum

IN OBSERVANTIÆ SIGNUM

dedicat ac offert

JOHANNES Knopff/ Aut. & Reſpondens.

J. C. A.

DISPUTATIONIS

περὶ τῆς

ΑΥΤΟΧΕΙΡΙΑC

THESIS I.

DE FORTITUDINE, illâ, quam *Virtutem Viro maximè propriam* Tullius, alii *Virtutem* abſolutè vocant, agentem Philoſophorum Principem Ariſtotelem *III. Ethic. cap. IX. X. XI. & XII.* (ſecundum alios *VI. VII. IIX. & IX.*) videmus non exponere modò, quæ ejus ſit natura ac eſſentia, ſed etiam, quæ ei ſint adfinia, & ob affinitatem vel ſimilitudinem illam pro ipsâ à quibusdam habeantur. Siquidem, ut veriſſimè Philippus Scherbius *Prolegom. in Polit. Ariſt. pag. 9.* ait, *in omnibus ferè rebus fit, ut fallax imitatio nobis imponat: quomodo e. c. verſificatores ſeſe vocant Poëtas; verboſi & clamoſi logodædali ſe pro Oratoribus, rabulæ forenſes pro JCtis, & circumforanei pro Medicis ſe venditant.* Quin (addente eôdem) in univerſum *nulla ferè res eſt, quæ fallaci imitatione non adulteretur*, uti e. g. *aurichalcum ſæpè pro aurô, lapidesque gemmas referentes, pro gemmis vendi cernimus.* Non igitur mirum, ſi etiam facta quædam hominum (in ſe ſœpè turpia, & ex pleno affectuum dominio profecta) fortitudinem mentiantur; ipſi verò homines, laudis & gloriæ cupidi, iis

ſamam quærant, fortiumque titulum ac nomen affectent.

II. Ex horum autem numerò ſecundum doctrinam Ariſtotelis *citatô cap. XI.* ſunt I. Cives, vel qui alii pericula ſubeunt, διὰ τὰ ἐκ τῶν νόμων ἐπιτίμια, καὶ τὰ ὀνείδη, καὶ διὰ τὰς τιμάς, hoc eſt, Dionyſio Lambinô Interprete, *compulſi cùm legitimis pœnis atque ignominiis, tùm etiam invitati honoribus ac præmiis.* Quæ eorum fortitudo πολιτικὴ ſeu *civilis* dicitur, ex mente Theodori Zvvingeri *in Tabb.* ideò, *quod ad Rerumpublicarum conſervationem & defenſionem contra hoſtes unicè conferat.* Aut, verbis Petri Victorii *Comment. pag. 163.* quod *eâ præditi cives libertatem tueantur, & à Patriâ hoſtes depellant, aliaque hujusmodi munia magnô animô obeant.* Unde etiam, judicio Cl. Giphanii *Comment. pag. 222.* eſt, *quod Cives ejus Reipublicæ habeantur fortisſimi, apud quos viris fortibus, magna ſunt conſtituta præmia, ignavis & imbecillibus verò, pœna & infamia.*

III. Ad quam claſſem Philoſophus etiam refert τοὺς ὑπὸ τῶν ἀρχόντων ἀναγκαζομένους, ſive *quibus à ducibus atque præfectis pugnandi necesſitas imponitur.* Obtemperant enim & ipſi mandato ſuperioris perinde ac legi. Quamvis, ut addit Vir πάνσοφος, *iſtis prioribus hi multò ſint deteriores.* Stant enim contra hoſtes, & pugnant, non *pudore adducti*, & ut maculam turpitudinemque declinent, ſed *coacti metu*, & ut dolorem fugiant. Cogunt ſiquidem ipſos οἱ κύριοι, καὶ οἱ προστάττοντες, κἂν ἀναχωρῶσι τύπτοντες, ut etiã οἱ πρὸ τῶν τάφρων καὶ τῶν τοιούτων παρατάττοντες, intellige *ſuperiores, & qui poteſtatem in ipſos tenent,* item *Duces & Præfecti, qui aciem inſtruentes, ſuum cuivis locum deſcribunt, &, ne cedat eo, monent, ubi autem ceſſerit,*

rit, verberant, aut etiam, *qui foſſam, vel ſimile quidpiam à tergò objicientes, faciunt, ut ipſi, nullam fugæ datam portam, ſed à tergô foſſam, à fronte verò hoſtem videntes, vel inviti pugnare coguntur.*

IV. Alia deinde Fortitudinis adulterinæ ſpecies eſt, quam δι' ἐμπειρίαν, item ϛρατιωτικὴν noſter Philoſophus, Zvvingerus autem ἐμπειρικὴν vocat. Ubi ſcilicet *ob experientiam & crebrum rerum uſum, animoſos ac confidentes ſe aliqui præbent.* Ut e. g. *nautæ*, qui Scyllæam rabiem ſœpè experti, & quas minas agat, edocti, eas nec quidquam metuunt, ſed intrepidi ſemper campis liquentibus (ut Poëtæ verbum eſt) naves inducunt. Item *Milites*, qui *multa belli*, imperitis etiam periculoſiſſima viſa, *inania* eſſe callentes, immoti in iis perſiſtunt, indeque tironibus & imperitis fortes audiunt. Cui accedit, quod iidem hi ſœpè ejusmodi utantur armis, *quibus lædere hoſtem, ſe autem defendere* valeant; & quod *iis rectè uti, ictusque à ſe avertere, & aliis inferre* ex arte didicerint. Quibus proinde confiſi, adeunt audentiores, viroſque ſe oſtentant. Verùm ſcitè iterum addit Philoſophus, ὥσπερ ἀνόπλοις ὡπλισμένοι μάχονται, καὶ ἀθληταὶ ἰδιώταις, hoc eſt, *pugnant veluti armati cum inermibus, & athletæ cum rudibus & luctandi imperitis.*

V. III. Fortitudini etiam accenſetur *Ira*, idque ideò, *quod fortes plerumque iracundi eſſe conſveverunt, iraque maximum ad adeunda pericula calcar addit.* Quô ſenſu quidem fortes vocantur omnes, qui vulnerati, aut modô quôdam aliô ab aliquô læſi, irâ percelluntur, &, ut vindicent illatum damnum aut injuriam, ferocis belluæ inſtar lædentem invadunt.

VI. Porrò IV. eſt quoque quædam fortitudo κατ'

ἐλπίδα, ſive *ex ſpe*. Quando ſcilicet aliqui fiduciam ad pericula ex crebris victoriis ſibi ſumentes, ſpem fovent, fore, ut veluti anteà, ſic & nunc & ſemper ſuperiores ſint evaſuri, nihilque incommodi ab hoſte laturi.

VII. Ultimò V. aliud quoddam *fortitudinis adumbrata* genus eſt, dictum δι' ἀπειρίαν καὶ ἄγνοιαν. Fortes enim videntur, & à multis etiam habentur, qui, dum congrediuntur cum hoſtibus, putant, alios & pauciores eos eſſe, ac reverâ ſunt. Quâ ſpe proinde decepti, ad pugnam veniunt animô optimè fidenti, eumque etiam ſervant, donec periculi magnitudo, priùs incognita, manifeſtò ſe prodiderit. Eâ verò conſpectâ, & experientiâ probante, alios & plures eſſe, cum quibus pugnant, ac primitùs putârunt, omnem ſtatim animum abjiciunt, & de victoria deſperantes, fugâ ſaluti conſulunt. Hanc fortitudinem *maximè in pueris & furioſis cerni, dum ex imperitia aſpides & ſerpentes manibus tractant, aliaque graviſſima perpetiuntur,* ait Giphanius *l. c. pag. 233.*

IIX. Sunt autem omnes ac ſinguli hi fortes ſolùm *nomine, & ex judicio imperitiorum,* à viris autem verè fortibus diſtant, quantum diſtat aurichalcum ab aurô aut (ſi jocô Scaligeri & hîc uti fas eſt) *mus farinâ adſperſus à piſtrini domino.* Vera enim fortitudo *conſtans & perpetua eſt, recta rationi & honeſtati innixa*, ut Ariſtoteles *ll. cc.* paſſim probat. At omnes ii, quos enumeravimus, vel inconſtantes ſunt in propoſitô, vel, quæ agunt, non agunt voluntariò, neque honeſti gratiâ. Veluti quidem de ſingulis id clariſſimè probare adducta hactenus verba confidimus.

IX. Cæterùm quantum eorum quisque à verè forti ab-

ti ab-

ti abeat, docere nunc non conſtituimus, ſed poteſt, qui cognoſcere illud cupit, adire ipſum Philoſophum, & qui eum commentati ſunt; præſertim autem (ut à quô nos id didicerimus, fateamur) Theodorum Zvvingerum *Tabulis*, quibus mentem ſummi Doctoris Ariſtotelis expoſuit & illuſtravit.

X. Ad id potiùs, de quô deinceps ſermonem facere conſtituimus, venimus. Nimirum, ſunt multi hominum, qui lethum non modò non formidant, ſed appetunt potiùs, & ſibi ipſis conſciſcunt: idque vel ideò, ut mentis ſuæ magnitudinem, quæ etiam τὸ φοβερώτατον non abhorreat, prodant, vel ut imminentibus, aut jamjam prementibus malis elabantur, vel ex causâ quâdam aliâ. De quibus quid ſtatuendum ſit, & laudine an vitio duci debeat hoc eorum factum, diſputant eruditi, nobisque nunc placet disquirere.

XI. Quod ipſum ut eò meliùs fiat, operæ pretium putamus, iterum, & paulò clariùs dicere, de quô ſit ſuſcepta quæſtio. Proinde dicimus, *de iis* ſermonem nobis eſſe, *qui ſponte & plenâ voluntate ipſi ſe morti committunt.* Hos hodiè communiter vocant αὐτόχειρας, aliqui ex antiquis *propricidas*, ſicut eorum factum iſtud αὐτοχειρίαν, *propricidium.*

XII. Diximus, *hos ita hodiè vocari.* Rectène, an ſecus, judicent alii. Sanè enim, ſi primam vocis impoſitionem (quæ eſt ex αὐτὸς & χείρ) attendimus, ſignificat αὐτόχειρ omnem eum, *qui ſuâ ipſe manu aliquid facit, non utens operâ alienâ.* Quô ſenſu quidem (Henricô Stephanô *Theſauri Linguæ Græcæ Tom. IV. col. 439.* & Joh. Scapula *Lexic. Græco-Lat. col. 1800. in voce αὐτόχειρ* referentibus) Maximinus, quod ipſe manus in prælio con-

conſeruit, ab Herodianô dictus eſt *αὐτόχειρ τῆς μάχης*. Iſocrates item Deos *αὐτόχειρας τῶν ἀγαθῶν καὶ κακῶν* vocavit, quaſi *ſuâ manu dent bona & mala*. Αὐτόχειρ τοῦ φόνου autem communiter appellatur, *qui ſuâ manu cædem patravit, non aliô ad eam patrandam uſus*. Ubi licet *homicida* dicatur *αὐτόχειρ*, dicitur tamē non *ſimpliciter*, neque *omnis*, ſed ſaltim *aliquis*, & *cum addito τοῦ φόνου*. Verùm, ut benè iidem Autores notant, dicitur talis homicida non rarò etiam *abſolutè & ſine additô αὐτόχειρ, ipſumque factum, quod aliquis propriâ manu perpetravit, nec per alium perpetrandum curavit, αὐτοχειρία*. Sicut & tandem (ſumtâ forſan ex dictis occaſione) *αὐτόχειρ*, aut *αὐτόχειρος* vocatur, *ὁ ἑαυτὸν ἐγχειρίσας, qui ſuis manibus ſeipſum necat aut necavit*; & *αὐτοχειρία cædes, quam quis ſibimet ſuis manibus infert, non quam infert alii*. De quibus omnibus plura videantur apud laudatos Autores, Stephanum & Scapulam, *ll. cc.*

XIII. Et quidem ut hôc ſenſu nomen hoc alicui competat, requiri videtur *(1.) ut ipſe ſibi mortem inferat vel intulerit, (2.) ut eam propriâ manu ſuâ*, arreptô eâ quodam inſtrumentô, *intulerit*. Hoc ſcilicet ſibi vult Etymologia ſuprà adlata. Quô proinde ſenſu *αὐτόχειρες* vocari non poterunt, qui ſe e. c. undis ſuffocant, aut de monte præcipitant, utut animô occidendi id faciant, & ſe etiam, ſicuti intenderunt, occidant. Non enim manuum operâ ad illud fuerunt uſi. Quod ipſum forſan movit nonnullos, ut maluerint uti vocabulis *αὐτοφόνου* & *αὐτοφονίας*, tanquàm generalioribus. *Φόνω* enim Auctoribus communiter eſt *occido, interficio*, & *φόνος cædes, homicidium*. Unde componitur *αὐτόφονος, αὐτοφονευτής*, & *αὐτοφόντης*, *propriæ cædis auctor*, ſeu, *qui ſeipſum*

ſeipſum perimit, aut peremit. Ut ita αὐτοφόνος & αὐτόχειρ differant tanquàm magis commune, & minus commune, atque *omnis quidem* αὐτόχειρ ſit αὐτοφόνος, verùm non viciſſim *omnis* αὐτοφόνος ſit αὐτόχειρ.

XIV. Verùm, ut quidem de his cum nemine pugnare volumus, ſed integrum potiùs cuique relinquere, quomodo velit loqui, dubitamus tamen, an vocis αὐτοφονίας uſus ex probatis Scriptoribus poſſit adduci. Nos ſanè hoc latere, ingenuè fatemur, ideoque æquius ducimus, in defectu melioris, retineri eam, quæ uſu jam inolevit, quàm novam aliquam ſine urgente neceſſitate fingere, aut jam olim conſtitutæ aliam novam ſignificationem imponere. Deinde verò conſtat & hoc ex lectione Autorum, quod nec voces αὐτοφόνος, αὐτοφόντης & αὐτοφονευτὴς ſemper eum ſignificent, *qui propriæ cædis autor eſt*, ſed ſæpè etiam eum, *qui propriâ manu ſuâ alii infert cædem.* Sanè de voce αὐτοφόντης illud clariſſimè ex Euripidis Medea probant Scapula *l. c. col. 1722.* & Henr. Stephanus *Indice in Theſaurum ſuum col. 585.* de cæteris autem pariter probatorum Scriptorum teſtimonia ſunt notiſſima; ut id propter, quoniam non minus hæ voces, αὐτοφόνος, αὐτοφονευτὴς & αὐτοφόντης in variis ſumi ſolent ſenſibus, ac ſumuntur αὐτόχειρ & αὐτοχειρία, forſan nulla neceſſitas ſit, cur aliter, ac vulgò loqui ſolent Doctores Ethici, hîc loquamur. Id enim putamus eſſe notiſſimum, quod à plerisque, qui Ethicam paulò prolixiùs tractandam ſibi ſumpſerunt, in locô de Fortitudine moveatur quæſtio: *An ii, qui ſibimet ipſis violentas manus inferunt, ſint fortes vocandi, nec ne?* Utuntur autem ii omnes vocibus αὐτοχειρία & αὐτόχειρ.

XV. Nos uti volumus vocabulis uſu magis tritis,

 nempe

nempe αὐτοχειρία & αὐτόχειρ. Quandoquidem verò, uti ex Theſi XII. & XIII. conſtat, αὐτόχειρ aliàs omnis ſolet dici, ὁ ἑαυτὸν ἐγχειρίσας, ſive *qui propriæ cædis autor eſt*, omnis inquam iste, ſive *ſciens* istud fecerit, ſive *inſcius*; *voluntariè*, an *involuntariè*; *ſpontè* vel prorſus *invitè*; notandum, de iis tantùm ſermonem nunc nobis eſſe, *qui voluntariò ſemet morti committunt*. Sæviunt enim quandoque in ſe rabidi, ſimilisque farinæ homines alii, & ſibi ipſis vitam demunt. Notóque notius & hoc eſt, permultos hominum intemperantiæ deditos ſanitatem & vitam ipſam perdere; veluti quidem inde proverbium enatum eſt, *plures perire gulâ* dicens, *quàm gladio*. Verùm cùm poſteriores hi nec gulæ nec libidini indulgeant accelerandæ mortis causâ, utut forſan nôrint, ex ejusmodi vitâ ipſam conſequi; iſti verò (rabidi) ideò, quod ſanum ſyncipuт (ut vulgò loquuntur) non habent, neque voluntariò agere dicantur, uti in Ethicis paſſim Philoſophus docet: in conſiderationem hic venire eos nec poſſe nec debere, quis non videt? Sanè tàm noſtro Philoſopho, quàm aliis bonæ notæ Scriptoribus pro certô habetur, bonitatis & malitiæ moralis capaces, ideoque laude ac vituperiô, præmiô ac pœnâ dignas eſſe nonniſi actiones profectas ex deliberatâ voluntate. Proinde & nos, dum quærimus, *laudene an vituperio digni ſint αὐτόχειρες*, omnes illos volumus exceptos.

XVI. Quemadmodum autem *rabidos & intemperantes hos* à ſubjecti, de quô eſt quæſtio, limitibus arcemus, ita iis ex adversô contineri putamus non eos modò, qui ſeipſos morti committunt, manu, gladiô, venenô, vel quô modô aliô id faciant; modò faciant ſponte & ex deliberata voluntate, ſed & eos, qui interfici ſe ab

aliis

aliis rogant, jubent aut imperant. Siquidem & hîc valere putamus illud vulgatum: *Quod quis per alium facit, per ſe feciſſe putandus eſt.* Docetque id optimè noſter Philoſophus *III. Ethic. cap. V.* (ſecundum alios *III.*) ea ajens, *quæ per amicos fiunt*, ſi ſcilicet eos vel rogaverimus, vel modô aliô ad agendum impulerimus, *videri, ac ſi per nos ipſos facta fuerint*, idque ideò, *quod eorum principium in nobis ſit.* Ad quem locum optimè Euſtratius ſcribit: *Quæ per amicos fiunt, inter ea videtur referre* Philoſophus, *quæ in nobis ſunt. Per nos enim quodammodo etiam ipſa fieri dicuntur, quippe cum principium & cauſa, quæ amicos ad faciendum quippiam incitat, in nobis ſit, quod petentibus nobis fiat, non fiat autem ſi non petiverimus.* Indeque ſic τοῖς αὐτοχεῖρσι rectè adnumeratur Sardanapalus, quem *voluptatibus ſupra modum deditum*, ut in iis vitam finiret, *rogum paraſſe, in ejusque parte mediâ cænaculum, magnis & craſſis trabibus, ne aliunde pateret exitus, circumſeptum, poſtmodum depoſitis intus auri talentorum mille myriadibus, argenti decies mille, veſtimentis etiam purpuris, & inſtitis omnifariis, ingreſſum ipſum eſſe, & juſſiſſe ut accenderetur, itaque ſic generosè & viriliter, vitam finiiſſe* ſcribunt Juſtinus & Athenæus. Neque minus αὐτόχειρ fuiſſet Saul, ſiquidem, ut prius juſſerat, manu ſervuli cecidiſſet; de quô videatur *I. Samuel. Cap. XXXI. verſ. 4.*

XVII. Status itaque controverſiæ hic eſto: *Sitne licitum homini, vitam ſibi propriô auſu præſcindere, mortemque inferre?* Et, ſi illud fecerit quô titulô veniat? *An laudandus & approbandus ſit, quaſi virtuoſus? an verò culpandus & improbandus, tanquàm vitioſus?* Utrumque (ut mentem noſtram ſtatim dicamus) nos negamus, putantes,

tes, *illicitum, turpe & maximè vitioſum eſſe, mortem propriò auſu ſibi inferre, & vitam adimere.*

XVIII. Aliter autem viſum olim Stoicis eſſe legimus, qui non *licere* modò, ſed & *debere hominem ſponte è vitâ abire* dixerunt. Nam, ait ad eorum mentem Lucanus *Lib. IV.*

Par animi laus eſt, &, quos ſperaveris annos
Perdere, & extrema momentum abrumpere lucis.

Itemque Tullius *III. de finib. Sæpè,* inquit, *officium ſapientis eſt, à vitâ deſciſcere.* Et L. Annæus Seneca (quem vulgò *Philoſophum* , alii ex Lipſiô *ſapientiæ fontem* vocant) *Epiſt. LXX.* ita ad Lucilium : *Prænavigamus,* inquit, *mi Lucili, vitam, quemadmodum in mari, ut ait Virgilius noſter,*

- - - - Terraq; urbesq; recedunt.

Sic in hôc curſu rapidiſſimi temporis, primum pueritiam abſcondimus, deinde adoleſcentiam, deinde aliquid eſt illud inter juvenem & ſenem medium, in utriusq; confinio poſitum, deinde ipſius ſenectutis optimos annos. noviſſimè incipit oſtendi publicus finis generis humani. Scopulum eſſe illum putamus, dementiſſimi? Portus eſt, aliquando petendus, nunquàm recuſandus. In quem ſi quis intra primos annos delatus eſt, non magis queri debet, quàm qui citò navigavit. Alium enim, ut ſcis, venti ſegnes ludunt ac detinent, & tranquillitatis lentiſſimo tædio laſſant : alium pertinax flatus celerrimè perfert. Idem evenire nobis puta. Alibi vita velociſſimè adduxit, quo veniendum erat etiam cunctantibus, alios maceravit & coxit, quæ, ut ſcis, non ſemper retinenda eſt. Non enim vivere bonum eſt, ſed benè vivere. Itaq; ſapiens vivit, quantum debet, non quantum poteſt. Videbit ubi victurus ſit, cum quibus, quomodo, quid acturus. cogitat ſem-

ſemper, qualis vita, non quanta ſit. Si multa occurrunt moleſta & tranquillitatem turbantia, emittit ſe, nec hoc tantùm in neceſſitate ultima facit, ſed cum primùm illi cæperit ſuſpecta eſſe fortuna, diligenter circumſpicit, numquid illo die deſinendum ſit. Nihil exiſtimat ſua referre faciat finem, an accipiat. Nemo multum ex ſtillicidio poteſt perdere. Citiùs mori, vel tardiùs, ad rem non pertinet, benè mori, aut malè, ad rem pertinet. Benè autem mori eſt effugere malè vivendi periculum. Similia idem hic, Sectæ quidpe Stoicæ ſectator acerrimus & acutiſſimus, habet *in Epiſtolis, & alibi,* quæ, ut chartæ & tempori parcamus, ſubticemus.

XIX. Cauſæ autem, quæ moverunt eos, ut ita ſtatuerint, ſunt complures, quas omnes ſingulari induſtria collegit Tob. Magirus *Polymnemone ſeu Florilegiô ſuô locorum communium, ſub titulô AVTOCHIRIA.* Nimirùm putaverunt, *vitam hanc, ut & mortem, eſſe inter indifferentia,* adeoque *ſumi & non ſumi poſſe, ut ſit oportunitas, & ſicut è conviviis ſaturi poſſumus ſurgere & abire, ludum pariter, cum libet, relinquere, ita comparatum etiam eſſe cum vita & morte.* Mortem verò præterea eſſe januam & viam ad libertatem & immortalitatem dixerunt. Quin hâc opinione ductos complures *ad ſpontaneam mortem properaſſe,* Tullius refert *1. Tuſc. quæſt. c. III.* Et hæ quidem ſunt *cauſæ communes*, uti Magirus appellat, quibus moti illi, licitam αὐτοχειρίαν dixerunt. Dixerunt verò etiam, *ſuſcipiendam eam eſſe homini quandoque, præſente & urgente prægnanti cauſa.* Qualis generis cauſas quinque adducit Laërtius *in Zenoniis decretis,* ajens: *Juſtè & cum ratione ſapientem educturum ſe è vita, dicunt: vel pro patria & amicis, vel ſi in acerbis doloribus verſetur,*

 item-

itemque membrorum mutilatione, vel morbis ægrè curandis. Ante laudatus Magirus autem ex Stoicæ ſectæ cultoribus aliis alias plures collegit, *paupertatem* nimirum, *ſummam miſeriam, ſenectutem*, cumprimis *imbecillam & morbis obnoxiam, injuriam, ignominiam, condemnationem publicam*, aut etiam, *ubi ſatis felicitatis anteà habuit.* Cauſas has recenſet *l.c.* Magirus, & non tantùm Auctorum dictis & quibusdam exemplis ipſe probat ac confirmat, ſed allegat etiam Tacitum, Vellejum, Plinium, Hyginum, & Fabrum, qui ferè infinita ejusmodi exempla literarum monumentis conſecrârunt.

XX. Nos nec neceſſarium, nec operæ pretium ducimus, illa vel teſtimonia vel exempla transſcribere, quippe ferè omnibus notiſſima. Unicum autem, idque admodũ notabile, de Vendâ virgine, Craci filiâ, & poſt ejus funera electâ Poloniæ Principe, (quæ poſt finitum feliciter, ſine ullô tamen prælio, bellum, adverſus Ducem Ritigerum, ne quis adverſus caſus felicitatem hanc contaminaret, de ponte in profluentem ſe projecit) prout illud deſcribit Joh. Herburtus de Fulſtin, Regni Polonici quondam Senator. Chronic. Polon. *Lib. I. cap. VI. pag. 5. & 6.* non poſſumus quin adducamus. Continet enim illud etiam *αὐτοχειρίαν* ab jam nominatô Ritigerô ob ſummam infelicitatem, qua premi ſe putavit, ſuſceptam, & dignum omninò eſt, quod legatur. Ita ergò Herburtus: *Ita verò gratam ſui memoriam Cracus Princeps apud Polonos reliquerat, ut utroque filio ejus orbati, ad Vendam Filiam, quæ unica ſuperſtes erat, Principatum deferrent. Sperabant enim habituros ſe eſſe præſtantem aliquem de externis Principem, venuſtiſſimæ & prudentiſſimæ Virginis Vendæ conjugio invitatum. Nec ſanè fefelliſſet*

Polonos

Polonos opinio, niſi per Vendam ſtetiſſet. Nam Ritigerus, illuſtris & potens ea tempeſtate in Theutonibus finitimis Princeps, per Oratores ſuos conjugem eam ſibi petivit: verùm illa excelſi & minimè muliebris animi virago, negavit ſe alicui eſſe nupturam: Principem, quàm Principis uxorem eſſe malle. Orarē iterum atque iterum Ritigerus, minasve adjicere. Sed poſteaquam fruſtra ſe omnia tentare vidit, coacto exercitu armis negatum conjugium perſequi ſtatuit: nec ſegnius Venda cum expeditis ſuorum copiis advenienti hoſti ad fines Regni ſui occurrit. Miſcere rurſus cœpit Ritigeris preces atque minas, illa verò exprobrare importunam libidinem armato. Oratores denique reverſi, eximiam puellæ pulchritudinem & ſapientiam, animumque ad bellum quam ad nuptias paratiorem renunciant ſuo Principi. Orant itaque, ne ſe exercitumque ſuum propter intempeſtivum amorem & cupiditatem ſuam turpiter conjiciat in periculum, etiamſi exploratam haberet victoriam, ingloriũ tamen eſſe viro cum fœmina certamen; ni deſinat, relicturos ſe eum, domumque ſignis converſis reverſuros. Ille omnibus tentatis, ubi obſtinatos ſuorum animos à prælii dimicatione alienos eſſe vidit, mortem ſibi conſcivit. (cùm propter amoris impatientiam, tùm, quod à muliere ſine ullo prælio victus eſſe videretur) Theutones, ictis cum Venda fœderibus, finibus Poloniæ deceſſerunt. Lætata hoc ſucceſſu Venda, ovans Cracoviam invehitur, mactisque quamplurimis victimis, ad extremum ipſa diis patriis ſolenni ritu ſe devovet ac de ponte in profluentem Viſtulæ (ne quis adverſus caſus ejus felicitatem contaminaret) ſeſe projicit. Addit idem Herburtus, *inventum poſteà eſſe Vendæ cadaver, idque uno ab urbe milliario, editiore loco è conſpectu urbis, ſupra amnem & Lubniam. Proceres ſepeliiſſe, aggeſto itidem,*

ut

ut Patri, tumulo, indeque ſubjacentem pagum Mogilæ (hoc eſt Tumuli) nomen adhuc retinere.

XXI. Eandem deinde ſententiam tenuiſſe etiam Philoſophos Samoneos, & quosdam ex Platonici, ut & alios, vulgò ſcribunt. Et è Plotino quidem, ſectæ Platonicæ Scriptore notiſſimô, hæc adducuntur verba: *Si vir ſapiens ducatur captivus, aderit ſolvendi facultas, ſi non detur ſibi eſſe felicem, & in eorum arbitrio eſt, qui vincti ſunt, ſe ſolvere.* Samoneos autem optimum cenſuiſſe, ſe interficere, animamque è corporis compedibus ac carcere ſolvere, ait Porphyrius *L. de abſtinentia ab eſu carnium.* Hebræos pariter quosdam omni, qui videt ſe deinceps victurum in probrum Dei, *αὐτοχειρίαν* conceſſiſſe, docet Joſephus, & ex eo celeberrimi nominis ſcriptor Hugo Grotius *de jure belli & pacis Lib. II. cap. XIX. §. V.* De jure item Juſtinianeo licitam ipſam eſſe, ex *l. ſed ſi 9. §. ſi ipſe 7. de pecul.* multi JCtorum adſerunt, quos allegat, idemque ex textibus illius juris aliis prolixè probat Magnif. & Nobiliſs. Dn. Eraſmus Ungepaur, JCtus, & in illuſtri hâc Univerſitate Prof. P. longè famigeratiſſimus, Facultatis Juridicæ, & Scabinatus Ordinarius graviſſimus, &c. Dominus ac Patrônus meus ſanctè deveneranndus, *Diſp. de Erroribus Juſtinianeis Theſ. 14. 19. 25. 26. & 27.*

XXII. Omnes hi diverſum à nobis ſentiunt, & *αὐτοχειρίαν* licitam proclamant; aliqui etiam, ut oſtendimus, debere nonnunquàm hominem mortem ſibi ipſi conciſcere, ſtatuunt. Videturque porrò idem quòque ex ſacra hiſtoria confirmari poſſe, quidpè in quâ plures *αὐτόχειρες* memorantur, Samſon ſcilicet *Jud. XVI v. 29. & 30.* Saul *I. Sam. XXXI. v. 4.* & Rhaza, Senator Hieroſolymitanus, *II. Maccab. XIV. 41. 42. 43. & 46.*

Hi

Hi enim omnes, ne in probrum Dei viverent, mortem & optârunt, & ſubierunt. Veluti quidem de Rhaza *loc. cit. v. 42.* expreſsè dicitur, quod maluerit *honeſtè mori,* quàm *in impiorum manus incidere, & ab ipſis derideri.* Neque legere in Sacris vel verbulum eſt, quod vitio vertat hoc eorum factum; Quin potiùs uti jam citatus textus docet, de Rhaza, dicitur, quod *honeſtam mortem ſubierit.* Videtur igitur laude digna & licita eſſe quædam *αὐτοχειρία.*

XIII. Quod ultimò etiam ex aliis quibusdam exemplis quispiam probaverit: eorum ſcilicet, qui mortem ſibi intulerunt, *ne tormentis adacti Chriſtianam religionem ejurarent*; Virginum item, quæ, *ne pudicitiam amitterent*, in flumen ſe dederunt præcipites, ejusque cauſa à nonnullis in Martyrum cenſum revocantur. Exempla non opus eſt ut adducamus, recenſita jam olim à Patribus & Hiſtoricis. Viditque etiam noſtrum ſeculum in urbibus quibusdam Germaniæ aliqua, quæ, ſiquidem fieri poſſet, optaremus ut nunquàm fuiſſent viſa vel audita. Sunt autem eruditorum multi, qui de iis malè ſentire nolunt.

XXIV. Sed enim his non obſtantibus, tenemus ſententiam ſuprà Theſi XVIII. dictam, putamusque, *licitum nequaquàm, ſed tàm jure divinô, quàm naturali vetitum*, tanquàm turpe aliquod, & vitium maximum, *eſſe, mortem ſibi proprio auſu inferre, & vitam adimere.* Quod jam ut demonſtremus, ordiemur à jure naturali. Hoc ſiquidem quoniam *commune*, & *ipſius Dei jus* eſt, *mentiri, corrumpi, & mutari neſcium*, ut Doctorum & olim fuit, & hodieque eſt ſententia, quicquid ei adverſatur, nullum jus aliud concedere vel licitum enunciare poteſt.

XXV. Prænotamus autem primò, quod cùm per jus naturæ ſ. naturale vulgò non omnes idem intelligant, nobis per ipſum illud veniat, quod δίκαιον φυσικὸν vocat noſter Philoſophus *V. Eth. Nicomach. cap. X.* (ſecundum alios *VII.*) & deſcribit τὸ πανταχοῦ τὴν αὐτὴν ἔχον δύναμιν, καὶ οὐ τῷ δοκεῖν ἢ μή. Hoc eſt, *quod ubique eandem vim habet, non ex opinione, aut quia hic vel ille ita ſtatuit.* Quæ definitio à poſteriori data ſatis quidem ejus naturam explicat; nihilo tamen minus aliis placuit paulò clarius & à priori ipſum deſcribere. Unde Greg. de Valentia *Tom. 2. diſp. VII. Qu. IV.* dixit, *Legem naturalem* (ita enim vocavit illud) *eſſe naturale rationis noſtræ judicium ſ. dictamen, quô per lumen nobis ab æternâ lege impreſſum & inditum evidenter cognoſcimus, ea eſſe facienda, quæ ita ſunt recta, & naturæ noſtræ conſentanea, ut ea negligere ſit deforme & naturæ repugnans, & contrà, ea eſſe vitanda, quæ facere turpe ſit & naturæ rationali minimè congruum.* Quibus ſimilia Hugo Grotius habet *locô ſuprà cit. §. X.*

XXVI. Secundò notamus: veluti in univerſum *qualibet res naturaliter amat ſeipſam, ſeque in eſſe conſervat, & corrumpentibus quantum poteſt reſiſtit,* ita ſpeciatim etiam *naturam hominis,* quem vulgò totius naturæ ἀκμὴν ac perfectionem vocant, *ſui conſervationem potiùs appetere, quàm deſtructionem ac interitum.* Certam hanc poſitionem putamus, & indubitatam. Et priorem quidem ejus partem, quam verbis Scholaſtici Thomæ *II. 2. Qu. LXV. art. V. corp.* eloquuti ſumus, docet Philoſophus *II. de generat. & corrupt. cap. X. t. 59.* dum inquit, *in omnibus naturam id expetere, quod eſt præſtabilius; præſtabilius autem eſſe τὸ εἶναι, quàm μὴ εἶναι.* Quod idem

ad

ad viventia adplicans *II. de anima cap. IV. t.33. & 34.* τὸ ἀεὶ ſive *ſemper eſſe* θεῖον vocat, & notanter ait: πάντα ἐκείνου ὀρέγεται, κἀκείνου ἕνεκα πράττει, ὅσα κατὰ φύσιν πράττει, hoc eſt, *Illud ipſum appetunt univerſa, gratiâque ipſius omnia agunt, quæcunq; ſecundum naturam agunt.* Quam ſententiam etiam Stoicos adprobare, notius eſt, quàm ut probari multis debeat. Alteram a. poſitionis partem quod attinet, ea præterquàm quod ex priori fluat, & communi Peripateticorum, quin ſacrarum etiam literarum confirmetur calculô, itidem ipſorum Stoicorum eſt. Ita enim Seneca *Epiſt. LXXXII. Sui amor*(intellige *hominum cuique*) *eſt, & permanendi conſervandique ſe inſita voluntas, atque aſpernatio diſſolutionis, quia videtur multa nobis bona eripere, & nos ex hac, cui adſuevimus, rerum copiâ educere.* Et Tullius (quem ratione hujus, adverſus quam diſputamus, ſententiæ, Stoicis adnumeravimus *Theſ. XIIX.* aliàs autem eclecticum potiùs quàm certæ ſectæ addictum eſſe novimus) *III. de finib. c. V. Simul atque natum eſt animal, ipſum ſibi conciliatur & commendatur ad ſe conſervandum, & ad ſuum ſtatum, & ad ea, quæ conſervantia ſunt ejus ſtatus, diligenda; alienatur autem ab interitu, iisque rebus, quæ videntur interitum adferre.*

XXVII. Et profectò, ſive naturam hominis, ſive ſcopum & intentionem naturæ ſpectemus, non poſſumus aliter dicere, quàm hominem ferri debere, & ferri etiam naturaliter in ſui conſervationem, deſtructionem autem fugere & averſari, fugereque ac averſari debere. Neque enim data eſt homini anima, ut ab eô iterum tollatur. Multò minùs hominis arbitrio remiſſum eſt, pro arbitratu ſuo vitæ filum abrumpere, & in-

C 2 ten-

tentionem efficientis intervertere. Longè verius autem hoc videtur: voluntatem Dei, intentionemque naturæ eſſe, ut vitam, quam accepimus, traducamus, & media, quibus ea conſervetur, quæramus & paremus. Hâc ſanè fini, & ut indigentiæ noſtræ proſpiciat provida mater natura, varii generis media illa, quæ partim alimenta ſunt, partim medicamenta, producit; hominem autem, ut ea appetere, & ita *ſalutem tueri, mortem verò perniciemque devitare poſſit*, (quæ verba Severini Boëthii ſunt *III. Conſol. Philoſ.*) ingeniô, & ſingulari organorum, quæ ſummi ſemper viri admirati ſunt, apparatu inſtruit.

XXIIX. Sed quid multis probare conamur, quæ aliàs ſunt fidei certiſſimæ apud omnes ſanos? Neque enim ſolummodò ab hominibus docentur, ſed ipſis etiam ſacris literis. Ita enim electum Dei organon, & magna Evangelii tuba Paulus *Epiſtola ad Epheſios perſcripta Cap. V. v. 29.* inquit: *Nullus unquàm ſuam ipſius carnem odio habuit, ſed nutrit ac vovet eam, ſicut & Dominus Eccleſiam.* Quin inde enata trita dicteria illa ſunt: *Proxima charitas incipit à ſeipſa*, & *Proximus quisque ſibi.*

XXIX. Fluit autem ex dictis etiam hoc, quod tertiò adnotare volebamus: *Naturalem inſtinctum monere hominem, ut ſui conſervationem quærat, deſtructionem a. & interitum horreat ac vitet.* Si enim natura producit hominem; ſi media, quibus vitam conſervet, dat & monſtrat; ſi facultate cognoſcendi, appetendi & acquirendi ea ipſum inſtruit: quid facit aliud, quàm quod monet aut jubet, ut conſervationi ſui ipſius ſtudeat? Si autem hoc jubet, non poteſt non deſtructionem & perditionem ſui prohibere & intercidere.

XXX.

XXX. Poſſumus nunc ita pro latâ ſuperiùs ſententiâ argumentari: *Quicunque committit id, quod omitti natura dictitat ac præcipit, cujusque oppoſitum potiùs committendum erat, ille facit contra jus naturæ. Sed qui ſeipſum plenâ voluntate morti committit, committit id, quod omitti natura dictitat ac præcipit, cujusque oppoſitum potiùs committendum erat. E. qui ſeipſum plenâ voluntate morti committit, facit contra jus naturæ.* Major quia definitioni juris naturalis ſuprà *Theſi XXIV.* propoſitæ innititur, in dubium vocari nequit. Minorem autem, cujus veritas diſſentientibus ſuſpecta forſan videbitur, ſufficienter in præmiſſis tribus poſitionibus ultimis probavimus.

XXXI. Confirmant hancce ſententiam noſtram eruditiſſimis verbis Thomas de Vio Cajetanus, & Joſephus, Hiſtoricus Judæus, quæ non poſſumus quin adducamus. Et ille quidem *II. 2. Qu. LXIV. artic. V.* inquit: *Seipſum occidere eſt omninò illicitum, quia naturaliter quælibet res ſeipſam amat. Et ad hoc pertinet, quod quælibet res naturaliter ſe conſervat in eſſe, & corrumpentibus reſiſtit quantum poteſt. Et ideò, quod aliquis ſeipſum occidat, eſt contra inclinationem naturalem, & contra charitatem, quâ quilibet debet ſeipſum diligere. Et ideò ſui ipſius occiſio ſemper eſt peccatum mortale, utpote contra naturalem legem, contra charitatem exiſtens.* Hic autem *Lib. III. de Bellô Judaicô cap. XIV.* ita: *Nullum eſt animal, quod ex induſtriâ aut per ſe moriatur, ſiquidem naturæ lex validiſſima omnibus eſt, ut velint vivere. Idcircò & qui nobis adimendum id putant, hoſtes ducimus, & quos noſtros inſidiatores putamus, pœnâ perſequimur. Deum verò indignè ferre non arbitrabimur, cùm donum ejus deſpiciat ho-*

mo? Ab illô enim accepimus ut eſſemus, rurſum que ut eſſe deſinamus, illi reddendum eſt. Si quis E depoſitum hominis ſurripuerit, aut malè tractaverit, peſſimus ac perfidioſus habetur. Si Dei depoſitum ex proprio corpore quis dejecerit, eum ſe latuiſſe, quem læſerit, exiſtimabit? Et ſervos quidem fugientes ulciſci juſtum creditur, quamvis nequam Dominos fugerint; ipſi verò fugientes Deum, & optimum Deum, impiè facere non videbimur?

XXXII. Poſſemus deinde etiam ex eô argumentum petere, quod homo *in uſum & bonum commune natus ſit.* Si enim verum eſt, quod vulgò ajunt, Stoicique iterum & cōcedunt, & docent ipſi, nimirùm, *ob hoc naſci hominem, ut vivat, vitâq; ſuâ aliis proſit*, quis non videt, αὐτοχειρα contra dictamen & præceptum naturæ agere, dum propriâ ſponte ſe morti committit? Ajunt autem id vulgò Doctores, & quidem ex auctore Platone, qui *Epiſt. IX.* acriter in Archytam Tarentinum, moleſtè ferentem, quod à publicis civitatis occupationibus liberari nequeat, invectus, ſcribit: *Illud quoque te conſiderare oportet, nullum noſtrûm ſibi ſoli natum eſſe, ſed ortus noſtri partem ſibi patriam vendicare, partem parentes, partem amici.* Quod doctiſſimi Scriptoris dictum citat, & idem ex Stoicis probat Tullius *l. offic. cap. VII.* *Sed quoniam,* ajens, *ut præclarè ſcriptum eſt à Platone, non nobis ſolùm nati ſumus, ortusque noſtri partem patria vindicat, partem parentes, partem amici: atque, ut placet Stoicis, quæ in terris gignuntur, ad uſum hominum omnia creari, homines autem hominum cauſa eſſe generatos, ut ipſi inter ſe alius alii prodeſſe poſſent; in hôc naturam debemus ducem ſequi, & communes utilitates in medium afferre mutatione officiorum, dandô, accipiendo; tùm artibus, tùm operâ,*

tum

tùm facultatibus devincire hominum inter homines ſocietatem. Docet idem etiam Seneca *l. de Ira cap V. Homo,* dicens, *in adjutorium mutuum generatus eſt.* Et iterum *Epiſt XCV.* ubi hæc legimus: *Habeamus in commune, quod nati ſumus. Societas noſtra lapidum fornicationi ſimillima eſt, quæ caſura, niſi invicem obſtarent; hôc ipsô ſuſtinetur.* Quam proinde Stoicorum, & αὐτοχειρίας Patronorum aliorum doctrinam meritò aliquis arriperet, & contra ipſos urgeret. Quandoquidem verò vel unicô argumentô ſi ſtatuminatur Theſis, ſatis eſt; Syllogismus autem noſter *Theſi XXX.* formatus ſufficienter probat, quod probandum ſumſimus, eò nunc contenti, abimus ad alia.

XXXIII. Et quidem cùm jam conſtet, *cum jure naturæ pugnare* αὐτοχειρίαν, probabimus, *pugnare etiam cum Decalogô.* Hujus enim præcepta radicaliter ſequuntur legem naturæ, & pariter omnes obligant. Dicitur autem Præceptô V. NON OCCIDES. *Non occides,* inquam, vel *te,* vel *tuum proximum.* Ita enim intelligunt noſtri Theologi, & ita intellexerunt ſuperioribus temporibus ſancti Patres, & ita intellectum voluiſſe divinum Numen, ex locis Scripturæ aliis colligitur. *De homine intelligimus, quod dictum, Non occides; non alterum, ergò nec te. Neq; n. qui ſe occidit, aliud, quàm hominem occidit,* inquit Auguſtinus, ille Antiſtitum Antiſtes egregius, (quô titulô ipſum alicubi C. Barthius dignatur) *l. de Civit. Dei cap. XX.* Et *ibid. Prohibitos etiam nos eſſe intelligendum eſt, ubi Lex ait,* NON OCCIDES; *præſertim quia non addidit* PROXIMUM TUUM, *ſicut falſum teſtimonium cùm vetaret,* Falſum, *inquit,* teſtimonium non dices adverſus PROXIMUM TUUM. Quin, addit divus

Pater,

Pater, *nec ideò tamen, ſi adverſus ſeipſum quiſquam falſum teſtimonium dixerit, ab hoc crimine ſe putaverit alienum: quoniam regulam diligendi proximum à ſemetipſò dilector accepit: quandoquidem ſcripſum eſt,* DILIGES PROXIMUM TUUM, SICUT TEIPSUM. Exindeque infert: *Si falſi teſtimonii non minus reus eſt, qui de ſeipsò falſum fatetur, quàm ſi adverſus proximum hoc faceret: cum in eò præceptò, quo falſum teſtimonium prohibetur, adverſus proximum prohibeatur, poſſitque non rectè intelligentibus videri non eſſe prohibitum, ut adverſus ſeipſum quiſquam falſus teſtis aſſiſtat: quantò magis intelligendum eſt, non licere homini ſeipſum occidere, cùm in eò, quod ſcriptum eſt,* NON OCCIDES, *nihilò deinde additò, nullus, nec ipſe utique, cui præcipitur, intelligatur exceptus.*

XXXIV. Deinde conſentiunt cum præcepto hoc verba *Gen. IX, 5. & 6.* ubi ita Deus, ſecundum interpretationem Xantis Pagnini: *Et profectò ſanguinem veſtrum animabus veſtris* (alii vertunt *animarum veſtrarum*) *requiram; de manu omnis beſtiæ requiram illum; & de manu hominis, de manu viri fratris ejus requiram animam hominis. Effundens ſanguinem hominis in homine, ejus ſanguis effundetur, quia* (ut addit divina Sapientia) *in imagine Dei fecit hominem.* Idem hîc dicitur, quod dictum eſt quinto præcepto, additurq; ſimul pœna, quam decrevit homicidis divina Juſtitia. Prohibetur autem iterum cædes humana, *adeò, ut ne quidem ſeipſum occidere ſit licitum*, ceu *in comment.* rectiſſimè ſcribit Theologus etiam poſt fata clariſſimus, Polycarpus Lyſerus. Et quidem ſi explicationi Pauli Fagy credendũ, veluti plura in dicto illo continentur verba, ita ſunt alia, quæ concernunt prohibitionem *occiſionis ſui ipſius*, alia, quæ *occiſionis*

nis

nis proximi. Nam, ait ille: *Dicit Lex*: FUNDENS SANGVINEM HOMINIS, PER HOMINES SANGVIS EIUS FUNDATUR: *Hoc intelligitur de eô, qui per ſeipſum aliquem occidit, non alium ad hoc ſubornatum. Veruntamen* SANGVINEM ANIMARUM VESTRARUM REQUIRAM, *hoc dicitur de eo, qui ſibiipſi mortem conſciſcit.* DE MANIBUS OMNIS ANIMANTIS REQUIRAM EUM, *iſtud intelligitur de eo, qui proximum ſuum beſtiæ dilaniandum objicit.* DE MANU HOMINIS, DE MANU VIRI FRATRIS SUI REQUIRAM ANIMAM HOMINIS, *hoc dicitur de eo, qui conducit alios ad occidendum proximum ſuum.* Hæc Fagius *in Onkelum* (citante Magnif. Dn. D. Ungepauer *d. diſp. Theſ. 16.*) quæ adponere, Tibique, AMICE LECTOR, penitiùs penſitanda linquere voluimus. Poſitô n. hunc eſſe verum ſenſum, quem Fagius exponit, res eſt certa. Poſitô autem, falli Fagium, nec diſtinctos caſus iſtos verbis adlatis voluiſſe notare divinam Sapientiam; cauſâ tamen nos non cademus. Nam hoc indubium manet, quod B. Gerhardus, illud quondam noſtræ Salanæ lumen, *in Comment.* ait, *contineri verbis illis generalem comminationem, quod Deus cædes humanas vindicare velit quâcunque ratione, ut homicida ultionem non effugiat.* Unde ſi homicidium prohibetur, prohibetur etiam propricidium, cùm propricidium & ipſum ſit homicidium; neque Juſtitiæ divinæ conveniens videatur, damnatâ ac prohibitâ occiſione proximi, occiſionem ſuiipſius licitam proclamare & concedere. Faciuntque huc illa Lactantii *Inſtit. Lib. III. Cap. XIIX.* ubi inquit: *Si homicida nefarius eſt, qui hominis extinctor eſt, eidem ſceleri obſtrictus eſt, qui ſe necat, quia hominem necat, cùm tamen NE OCCIDAS lex moneat, doceat, prohibeat.*

XXXV. Ex hiſce utut ſatis ſuperque conſtet, Lege divinâ prohibitam eſſe αὐτοχειρίαν; majoris tamen confirmationis ergò addunt aliqui hæc: I. *Sanctos viros omnes, Patriarchas, Reges, Prophetas, Apoſtolos*, vel quibus nominibus aliis veniant, licet maximis calamitatibus preſſi, & præſentiſſimô periculô mortis circumvallati fuerint, *noluiſſe* tamen *vim vitæ facere, & morti ſeipſos tradere.* II. *Ipſum Salvatorem noſtrum*, cùm diſcipulis ſuis afflictiones, quibus eos Mundus perſequuturus eſſet, prædiceret, *auctorem nequaquàm fuiſſe, ut manus ſibi inferrent*, (quô mediô quidem omnem hoſtium violentiam facilè & citò potuiſſent effugere) *ſed potiùs, ut*, imminentibus malis iſtis, *de civitate in civitatem fugerent.* De quibus iterum hanc ſententiam (adverſus Gentes, licitam & honeſtam etiam αὐτοχειρίαν putantes) fert Auguſtinus *l. c. Cap. XXIII. Non fecerunt* (h. e. non interemerunt ſe) *Patriarchæ, non Prophetæ, non Apoſtoli: quia & ipſe Dominus Chriſtus, quando eos ſi perſequutionem paterentur, fugere admonuit de civitate in civitatem, potuit admonere, ut ſibi manus inferrent, ne in manus perſequentium pervenirent. Porrò ſi hoc ille non juſſit, aut monuit, ut hôc modô ſui ex hâc vitâ migrarent, quibus migrantibus manſiones æternas ſe præparaturum eſſe promiſit, qualibet exempla opponant gentes, quæ ignorant Deum: manifeſtum eſt, hoc non licere colentibus unum verum Deum.*

XXXVI. Et ſanè ut ex Apoſtolis ſolum Paulum producamus, quantis malis ille afflictus fuerit ſœpies, paret ex Epiſtolæ *ad Corinthios* perſcriptæ *II. Cap. XI. verſ. 23. 24. 25. 26. 27. 28. & 29.* ubi ita inquit: *Excello ego* (inter miniſtros Chriſti) *in laboribus, in fatigationibus perabun-*

abunde: in verberibus plus ſatis: in carceribus perabunde: in mortibus ſæpè. — A Judæis quinquies accepi quadragenas plagas, unâ minus. — Ter virgis cæſus fui: ſemel fui lapidatus: ter naufragium feci: noctem ac diem in profundo egi. — In itineribus ſæpè fui, in periculis fluminum, periculis latronum, periculis à meis gentilibus, periculis à Gentibus, periculis in civitate, periculis in deſerto, periculis in mari, periculis inter falſos fratres. — In fatigatione, & ærumnâ, in vigiliis: ſæpè in fame & ſiti: in jejuniis ſæpè, in frigore & nuditate. — Abſque iis, quæ extrinſecùs eveniunt, urget agmen illud in me quotidiè conſurgens, ſolicitudo omnium Eccleſiarum. — Quis affligitur, quin ego affligar? Quis offenditur, quin ego urar? Agmen malorum hîc coacervatum quivis videt. Quibus non minora Jobum preſſiſſe, itidem ex hiſtoriâ ſacrâ conſtat. Quem ſcilicet *afflixere morbi; tentavit Satanas; ludibrio habuerunt, & diris durisque verbis vexaverunt amici, adfines, conſangvinei, uxor:* quarum ultimam legimus impiô ore hæc ad ipſum effutiviſſe: *Adhuc tamen retines perfectionem tuam? Benedic Deo, & morere.* Sed enim nec hic, nec ille, nec Sancti alii mortem ſibi ipſis voluerunt conſciſcere; quin potiùs omnia mala tulerunt patienter, & divinæ voluntati, à quâ vitam & ſangvinem acceperunt, ſe ſubmiſerunt. Veluti quidem Jobus uxori, malum conſilium prementibus malis ferenti, hoc reſponſum dediſſe dicitur: *Ut loquitur una è ſtultis, loqueris. Et bonum ſuſcipiemus à Deô, & malum non ſuſcipiemus?* Cujus pietati & conſtantiæ etiam hoc teſtimonium dat Spiritus Sanctus: *Et in omni hôc non peccavit labiis ſuis Hiob.*

XXXVII. Ex quibus ita patet, quod hæc verborum

 ex

explicatio congrua ſit locis Scripturæ aliis, nec aliter ea intelligi voluerit divinum Numen. Neque etiam eſt in Libris Canonicis ullus textus, quô remiſſum legatur hominum arbitrio, prementibus malis ſibi vitam demere. Unde quis dubitet, ſub homicidiô propricidium includi, & prohibitô illô, prohibitum eſſe etiam hoc? Meritò proinde ad exempla iſta, tanquàm fidei certiſſimæ, provocamus, eaque exemplis gentilium obponimus.

XXXIIX. Sed licet etiam inter Ethnicos quosdam reperire, queîs melior animo ſedit opinio, nec lubuit aliorum exempla ſequi, morteque malorum finem quærere. Marcum Regulum Attilium præprimis, Conſulem Romanum, quem captum à Carthaginienſibus *novis iisque crudeliſſimis exemplorum modis excruciatum fuiſſe*, Tubero auctor eſt. Scilicet *in atras & profundas tenebras eum claudebant: ac diu poſt, ubi erat viſus Sol ardentiſſimus, repente educebant, & adverſus ictus Solis oppoſitum continebant, atque intendere in Cælum oculos cogebant. Palpebras quoque ejus, ne connivere poſſet, ſurſum ac deorſum ſubductas inſuebant.* Miſerrimam hunc vitam vixiſſe, quis non videt? Et tamen vivere eam maluit, quàm ſibi ipſi manus inferre violentas. Refert enim Tuditanus, eum *ita excruciatum, ſomnoque diu prohibitum, tandem exſpirâſſe.*

XXXIX. Notabile cùm hoc ſit exemplum, magnis elogiis elatum, & iſti gentilium de M. Porciô Catone Minore, Virô maximi ab omnibus habitô, qui ſe Uticæ occidit, perlectô priùs (ut memorant Hiſtorici) bis eâdem ipsâ nocte Platonis Phædone de animæ immortalitate, obpoſitum videmus ab Auguſtinô *l.c. cap XXIV.* verbis paulò quidem prolixioribus, ſed tamen lectu digniſ-

gniſſimis, quæ integra lubet transſcribere. *Nolunt autem* (inquit) *iſti, contra quos agimus,* (αὐτοχειρίας Patroni & adprobatores) *ut Sanctum Virum Job, qui tàm horrenda mala in ſuâ càrne perpeti maluit, quàm illatâ ſibi morte omnibus carere cruciatibus; vel alios Sanctos ex noſtris literis, ſummâ auctoritate celſiſſimis, ſideque digniſſimis, qui captivitatem dominationemque hoſtium ferre, quàm ſibi necem inferre maluerunt, Catoni præferamus. Sed ex literis eorum eidem illi Marco Catoni Marcum Regulum præferamus. Cato enim nunquàm Cæſarem vicerat, cui victus dedignatus eſt ſubjici, & ne ſubjiceretur, à ſeipſo elegit occidi. Regulus autem Pœnos jam vicerat, Imperioque Romano Romanus Imperator non ex civibus dolendam, ſed ex hoſtibus laudandam victoriam reportaverat; ab eis tamen poſteà victus, maluit eos ferre ſerviendò, quàm eis ſe auferre moriendò. Proinde ſervavit & ſub Carthaginienſium dominatione patientiam, & in Romanorum dilectione conſtantiam: nec victum auferens corpus ab hoſtibus, nec invictum animum à civibus. Nec, quod ſe occidere voluit, vitæ hujus amore fecit. Hoc probavit, cum cauſa promiſſi juriſque jurandi ad eosdem hoſtes, quos graviùs in Senatu verbis, quàm in bellô armis offenderat, ſine ullâ dubitatione remeavit. Tantus itaque vitæ hujus contemtor, cum ſævientibus hoſtibus per quaslibet pœnas eam finire, quàm ſe ipſe perimere maluit, magnum ſcelus eſſe, ſi homo ſe interimat, procul dubio judicavit.* Hæc Auguſtinus.

XL. Audi eidem παραίνεσιν ad omnes Chriſtianos verbis elegantiſſimis, quæ cùm theſin noſtram non parùm cõfirmet ac illuſtret, placet & eam adponere. Eſt a. hæc: *Si fortiſſimi & præclariſſimi Viri, terrenæ patriæ defenſores, Deorumque licet falſorum, non tamen fallaces cultores,*

ſed veraciſſimi etiam juratores, qui hoſtes victos more ac jure belli ferire potuerunt, hi ab hoſtibus victi ſeipſos ferire noluerunt, & cùm mortem minimè formidarent, victores tamen dominos ferre, quàm eam ſibi inferre maluerunt: Quantò magis Chriſtiani, verum Deum colentes, & ſupernæ Patriæ ſuſpirantes, ab hôc facinore temperabunt, ſi eos divina diſpoſitio vel probandos, vel emendandos ad tempus hoſtibus ſubjugaverit: quos in illâ humilitate non deſerit, qui propter eos tàm humiliter venit Altiſſimus: præſertim quos nullius militaris poteſtatis, vel talis militiæ jura conſtringunt, ipſum hoſtem ferire ſuperatum?

XLI. Neque verò exemplis, quæ Theſi XXII. ex Sacris attulimus, contrarium probatur. Nam quantum ad Samſonem, docent communi ore Theologi, ipſum inſtinctu & juſſu Dei ſe morti commiſiſſe, fuiſſeque typum Salvatoris Chriſti, qui animam pro ovibus ſuis poſuit, morteque ſuâ Mortem, Dæmonem, & Infernum, illos Eccleſiæ hoſtes, proſtravit ac delevit. Poſitô nunc hôc, quod utique certiſſimum, non decedit aliquid noſtræ Theſi. Neque enim ſimpliciter dicimus: *non licere homini ſeipſum interficere*; ſed, *non licere proprio auſu ſibi mortem inferre.* Proprius verò auſus non fuit in Samſone, ſed obedientia potiùs ſummo rerum arbitro Deo præſtita, cujus præceptis ſtandum eſt omnibus. Unde neque peccavit factô illô Samſon, neque hôc ejus exemplô evincitur, αὐτοχειρίαν illam, quam ſuprà definivimus, de jure divinô eſſe licitam.

XLII. Pulcrè iterum de hôc exemplô diſcurrit Auguſtinus *l. c. Cap. XXVI.* ſimulque oſtendit, utut Samſon ſine ſcelere fuerit mortuus, non tamen ſine ſcelere etiam mori, qui absque ejusmodi juſſu, ſaltim propriô

auſu

auſu morti ſe committunt; quem audire operæ videtur pretium. *De Samſone*, ait ille, *aliud nobis fas non eſt credere*, quàm ſcilicet (ut lin. antec. dicit) *feciſſe ipſum, quod fecit, non humanitùs deceptum, ſed divinitùs juſſum; nec errantem, ſed obedientem. Cum autem Deus jubet, ſeque jubere ſine ullis ambagibus intimat, quis obedientiam in crimen vocet? quis obſequium pietatis accuſet? Sed* (addit) *non ideò ſine ſcelere facit, quiſquis Deo immolare filium decreverit, quia hoc Abraham etiam laudabiliter fecit. Nam & miles cum obediens poteſtati, ſub quâ legitimè conſtitutus eſt, hominem occidit, nullâ civitatis ſuæ lege reus eſt homicidii: imò, niſi fecerit, reus eſt imperii deſerti atque contemti. Quod ſi ſuâ ſponte atque auctoritate feciſſet, in crimen effuſi humani ſanguinis incidiſſet. Itaque unde punitur, ſi fecerit injuſſus, inde punietur, niſi fecerit juſſus. Quodſi ita eſt jubente Imperatore, quantò magis jubente Creatore? Qui ergò* (concludit tandem) *audit, non licere ſe occidere, faciat, ſi juſſit, cujus non licet juſſa contemnere.* Sed *tantummodò videat, utrum divina juſſio nullò nutet incertò.* Hæc ibi jam ſæpè laudatus Doctor.

XLIII. Ad ſecundum (quod erat Regis Saulis) notum itidem eſt, quid dicant Interpretes Sacrorum. Nimirùm mortuus eſt ex deſperatione, adeóque vituperiô, quàm laude dignior. Et utut contendant quidam Ebræi, *reſipuiſſe eum, poſtquàm Samuelis umbra mortem ei prædixerat; unde conſcium ſibi imminere illam, ſi pugnaret, prælium pro Patriâ & Dei lege non detrectâſſe; manus autem ſibi ipſi intuliſſe violentas, ne à Dei ſuisque hoſtibus illuderetur;* id tamen ex nullo Sacræ hiſtoriæ loco poteſt oſtendi. Circumſtantiæ autem id potiùs docent,

cent, mortuum ipſum eſſe ex impotentiâ animi ac deſperatione. Quapropter nec ab eô noſtra Theſis damnum patitur.

XLIV. Multò verò minùs factum Rhazæ metuimus. Namque ut non diſputemus, utrum ipſum in textu laudatum & approbatum legatur, an non? Ut enim conſtat, negant id plerique Commentatorum. Ipſe etiam Auguſtinus *Epiſt. LXI.* ait, *hominem quidem eſſe laudatum, ſed factum narratum eſſe non laudatum, & judicandum potiùs, quàm imitandum, quaſi ànte oculis conſtitutum*; neque *noſtro judicio judicandum, quod nos quoque ut homines habere poſſemus, ſed judicio doctrinæ ſobriæ, quæ in ipſis quoque Libris veteribus data eſt.* Et pergit: *Longè fuit iſte Razius à verbis illis, ubi legitur: Omne, quod tibi applicitum fuerit, accipe, & in dolore ſuſtine, & in humilitate tuâ patientiam habe.* Tandemque concludit: *Non ergò fuit iſte vir eligendæ mortis ſapiens, ſed ferendæ mortis impatiens.* Alia plura ibi addit Vir doctisſimus, facientia ad reſpondendum objectioni, quam ex textu movere quis poſſet; quæ ex ipsô legenda Lectori linquere volumus. Sed, ut diximus, ut de his nunc non diſputemus, ſed ponamus etiam, quod ſaquidam ajunt, *laudari & approbari in textu factum*; ſanè conſtat, quod Libri Maccabæorum ſint Apocryphi, ex quibus nihil adverſus Canonicorum doctrinam poteſt opponi. Proinde in fumum abit & hoc telum.

XLV. Tandem quod eos attinet, qui mortem ſibi intulerunt, *ne tormentis coacti forſan Chriſtianam Religionem ejurarent;* Virgines item, quæ vel *metu ſtupri*, vel *poſt paſſum violenter ſtuprum* vitam ſibi ademerunt: ſanè dolendum eſt, cauſas ejusmodi ſub ratione neceſſarii,

ſatii, honeſti, aut ſaltim non prohibiti, ipſis impoſuiſſe. Impoſuit autem longè pluribus, tàm Ethnicis, & qui reſurrectionem mortuorum, futuramque vitam ignorârunt, quàm Judæis etiam, & Chriſtianis. Ita enim *Lucretiam, uxorem Collatini, quæ à Sextô Tarquiniô deflorata, commiſſi ſceleris impatiens ſeſe confodit ac peremit*, memorant, & tanquàm caſtitatis præcipuum lumen laudant vulgò plerique omnes Scriptores Ethnici. Cicero item *oratione de Provinciis Conſularibus* refert, *nobiliſſimas virgines ſe in puteos abjeciſſe, & morte voluntariâ nefariam turpitudinem depuliſſe*. A Judæis autem hæc frequenter cantatur hiſtoria: *Fœminam in navi ad ſtuprum expetitam, cùm à maritô quæſiiſſet, an & mari merſa corpora eſſent reſurrectura? isque id affirmâſſet, jeciſſe ſe in mare.* Et cui non notæ ſunt è Chriſtianis fœminæ Antiochenæ ſub Diocletianô & Choſroe, quæ, Chriſtianæ licet, propriâ tamen periere manu? E quibus Pelagiam, unà cum matre & ſororibus ſuis, Martyrum numero ab Eccleſia illatam fuiſſe, teſtis eſt Ambroſius *III. de Virgin.* Sic Sophroniam etiam, ne vim à Cæſare Maxentiô pateretur, ſe occidiſſe, Euſebius perhibet *in hiſtor. Eccleſiaſt.* Et aliæ plures ab Hiſtoricis aliis citantur, laudibusque, ac ſi optimè feciſſent, decorantur. De iſtis verò, quos *mortem ſibi intuliſſe, ne tormentis adacti Chriſtianam religionem ejurarent*, ſupra diximus, fidem itidem nobis facit Euſebius.

XLVI. Verùm enim verò quidquid ſit de hiſtoriis, quarum veritatem in dubium non trahimus; Sanè ipſa facta excuſari, & pro inculpatis haberi nequeunt. Etenim Lex eſt omnibus data: *NON OCCIDES.* Atque *non facienda mala ſunt, ut inde eveniant bona.* Proinde

E cùm

cùm peccatum ſit homicidium, id non appetendum eſt, multoq; minùs ob evitandũ aliud, de quô res adhuc incerta eſt. Et rectè iterũ Auguſtinus inquit *de Civ. Dei L. I. c. XXV. Si deteſtabile facinus, & damnabile ſcelus eſt, etiam ſeipſum hominem occidere, ſicut veritas manifeſta proclamat, quis ita deſipiat, & dicat: Jam nunc peccemus, ne poſteà forte peccemus; Jam nunc perpetremus homicidium, ne fortè poſteà incidamus in adulterium?* Quibus quidem (quod obiter notamus) & hæc addit: *Nonne ſi tantum dominatur iniquitas, ut non innocentia, ſed potiùs peccata eligantur, ſatius eſt incertum de futurô adulterium, quàm certum de præſenti homicidium? Nonne ſatiùs eſt, flagitium committere, quod pœnitendô ſanetur, quàm tale facinus, ubi locus ſalubris talis pœnitentiæ non relinquitur?* Verùm ſciendum, ipſum hæc dicere ſaltim *propter eos vel eas, quæ non alieni ſed proprii peccati devitandi cauſâ, ne ſcilicet ſub alterius libidine etiam excitatæ ſuæ fortè conſentiant, vim ſibi, quâ moriantur, inferendam putant.* Hanc enim limitationem atque cautelam ipſemet addit *l. c.* Utrum autem benè dixerit, annon? aliis, ad quos attinet, judicandum linquimus. Nos obiter ſaltim recenſere verba voluimus, cùm conjuncta cum prioribus iſtis viderimus.

XLVII. Deinde & hoc notari volumus, quod Philoſophi vulgò docent, voluntatem non poſſe cogi. Inde enim ſequitur, neque cogi hominem poſſe vel ad ejurandum religionem, vel ad committendum ſtuprum, vel id genus peccatum aliud perpetrandum; quidpe ad quæ omnia electio requiritur & voluntas. Adeoque ſic nec cauſa, quam pro urgente neceſſitate adferre videntur, alicujus eſt momenti. Et ſanè, quantum

tum

tum metum ſtupri attinet, ille planè vanus & inanis eſt. Neque enim iſtud committit, quæ vim patitur fœmina; quæ, inquam, renititur turpi ſtupratoris conatui, mentemque, ne ipſi conſentiat, aut eô oblectetur, cohibet. Sed *duo licet ſint, quorum corpora commiſcentur, unus tamen ſaltim eſt, qui committit ſtuprum; alterius autem, quæ verè vim patitur, illibata ſervatur pudicitia, & voluntas caſtiſſima*; quæ ſententia rurſus Auguſtini eſt *Cap. XIX.*

XLIIX. Quanquàm (quod ultimùm addere placet) valde vereamur, ne inquinata ſimul fuerit etiam ipſius Lucretiæ cupiditas, neque nullius culpæ ipſa accuſari poſſit. Profectò enim, ſi vera ſunt, quæ memorant Hiſtorici, ſponte ipſa admiſit adulterium. Sunt autem, quæ de eâ referunt, hæc: *Lucretia, Romanæ caſtitatis præcipuum lumen, filia Tricipitini Præfecti Urbis, & uxor Collatini fuit. Hujus tùm elegans forma, tùm ſpectata & laudata caſtitas, incitavit Sexti Tarquinii libidinem, ut de ſtuprandâ eâ cogitaret. Proinde intempeſtâ quâdam nocte in ædes veniens, cùm precibus exorare non poſſet, vi oppreſſit: ſtrictô enim gladiô in cubiculum irruens, mortem minabatur, ni voluntati ſuæ obſequeretur; addebatque, ſe cum mortuâ jugulatum ſervum poſiturum, ut in ſordidô adulteriô necata diceretur. Quibus minis illa præterita, ut infamiæ ſuſpicionem effugeret, expugnari ſe paſſa eſt.* Hîc ſanè non defuit conſenſus; licet invitus, & vi extortus. At notum eſt, quid de actionibus ejusmodi vulgò ſtatuatur. Ex ſententiâ Philoſophi nimirùm *III. Ethic. Nicomach. Cap. I.* (ubi *invitum per vim*, ſive, ut vulgò vocant, *violentum* definit *id, cujus principium extrinſecus ejusmodi eſt, ut ei neque qui agit, neque qui patitur, quidpiam conferat*: quemadmodum e. c. *ſi ventus, aut homi-*

nes, qui poteſtatem eam habent, aliquò nos detulerint) mixta ſunt, ſed tamen *ſpontaneis magis ſimiles*, idque ideò, *quod & tunc, cum aguntur, in electione conſiſtunt, & finis earum eſt in occaſione*: Quin, ut ſtatim addit, conſiderata ejusmodi actio, ut eſt in actu, ſpontanea eſt & voluntaria. Nam ait: *Et ſpontaneum, & invitum igitur, quando id agit quisque, dicendum eſt. Agit autem ſponte. In ipsô enim eſt partium earum, quæ inſtrumentorum locum obtinent in hujusmodi actionibus, movendarum principium. At quarum rerum principium in aliquo eſt, penes eum quoque earum agendarum vel non agendarum poteſtas eſt. Unde hæc talia ſponte aguntur*: Ad quæ inter alia Euſtratius ſcribit, *quatenus principium extrinſecus habent actiones illæ, nimirùm Tyrannum, vel dominum, vel periculum, invitas eſſe; quatenus verò in nobis facultas eſt, ut quodlibet potiùs detrimentum patiamur, quàm turpe quidpiam perpetremus, ſpontaneas exiſtimari; ſpontaneis tamen magis eſſe ſimiles, ob rationes in textu allatas*. Declaratque eadem quàm optimè Thomas *I. 2. Qu. VI. art. VI. corp.* ita ajens: *Hujusmodi quæ per metum aguntur,* (ad quæ ſcilicet ſpectare etiam factum iſtud Lucretiæ, ſuprà diximus) *mixta ſunt ex voluntariô & involuntariô. Id enim, quod per metum agitur, in ſe conſideratum, non eſt voluntarium; ſed fit voluntarium in caſu, ſcilicet ad vitandum malum, quod timetur. Sed ſi quis rectè conſideret, magis ſunt hujusmodi voluntaria, quàm involuntaria: ſunt enim voluntaria ſimpliciter, involuntaria autem ſecundum quid. Unumquodque enim ſimpliciter eſſe dicitur, ſecundum quod eſt in actu; ſecundum quod autem eſt in ſolâ apprehenſione, non eſt ſimpliciter, ſed ſecundum quid. Hoc autem, quod per metum agitur, ſecundum hoc*

eſt

eſt in actu, ſecundum quod fit: cùm enim actus in ſingularibus ſint, ſingulare autem, in quantum hujusmodi, eſt hîc & nunc, ſecundum hoc id, quod fit, eſt in actu, ſecundum quod hîc eſt, & nunc; & ſub aliis conditionibus individualibus. Sic autem hoc, quod fit per metum, eſt voluntarium; in quantum ſcilicet eſt hîc & nunc, prout ſcilicet in hôc caſu eſt impedimentum majoris mali, quod timebatur: ſicut projectio mercium in mare fit voluntarium tempore tempeſtatis propter timorem periculi: Unde manifeſtum eſt, quod ſimpliciter voluntarium eſt. Unde & competit ei ratio voluntarii; quia principium ejus eſt intra: Sed quod accipiatur id, quod per metum fit, ut extra hunc caſum exiſtens, prout repugnat voluntati, hoc non eſt niſi ſecundum rationem tantùm. Et ideò eſt involuntarium ſecundum quid, prout conſideratur extra hunc caſum exiſtens. Hæc doctiſſimè Thomas. Quæ ſi penſitamus, ſanè penitùs violentum ſtuprum illud vocare non poſſumus; multò minus ipſam Lucretiam omnis culpæ exſortem judicare. Quod ipſum porrò aliâ etiam ratione probare poſſemus, ſi neceſſitas exigeret. Verùm cùm omne, quod probandum erat, ex his, quæ diximus hactenus, liquidiſſimè conſtet; & inſuper poſitô etiam, vim illatam eſſe Lucretiæ, neque quidquam ipſam ad turpe illud factum contuliſſe; peſſimè tamen ipſa egerit, dum vim vitæ intulit, & commiſſum vitium in ſe punire, illicitôq; homicidiô quaſi expiare voluit: nolumus addere vel verbulum.

IL. Cùm autem jam probatum ſit, *αὐτοχειρίαν pugnare cum jure naturæ, & jure divinô, neque ex exemplis, quæ in Sacris leguntur, contrarium obtineri*; pergemus, & oſtendemus etiam, potiùs *ex vitiô*, quàm ex virtute mo-

tali *agere, qui ſeipſos plenâ voluntate & propriò auſu morti committunt.* Quod ipſum quidem ex antecedentibus collectu videtur facillimum. Etenim hoc videtur in confeſsô eſſe apud omnes, id, quod juri naturæ & divino adverſum eſt, nec virtutem eſſe, nec ex virtute. Proinde ſi cum juribus iſtis pugnat *αὐτοχειρία*, non poteſt eſſe ex virtute. Verùm quidquid hujus ſit, conabimur nos ex fontibus id ipſum deducere, & ambigentibus omnem controvertendi occaſionem atque viam præcidere.

L. Deberet autem, ſiquidem ex virtute eſſet *αὐτοχειρία*, eſſe ex fortitudine: hæc enim eſt virtus verſans circa terribilia, & præprimis circa Mortem, quæ Philoſophi judicio *l. c. cap. IX.* (aliis *VI.*) *πάντων τῶν φοβερῶν φοβερώτατον* eſt. Verùm quod nec ex eâ ſit, ex definitione, quam ei tribuunt Doctores, liquet. Ita enim Philoſophorum Coryphæus *l. c. & Lib. II. cap. VII.* *περὶ φόβους καὶ θάῤῥη μεσότης ἐστὶν ἀνδρεία*, *Fortitudo eſt mediocritas, quæ in metu ac fiduciâ vertitur.* Et primò omnium requiruntur ad eam *recta ratio* atque *honeſtas*, quibus ſcilicet, tanquàm fundamentis, ipſa innititur, & abs quibus eſſe nequit. Nam *τὸ καλὸν τέλος τῆς ἀρετῆς*, *honeſtum eſt finis omnis virtutis, ejusque ſolius causâ vir fortis & perfert, & agit omnia, quæcunque fortitudini ſunt conſentanea*, ceu idem Philoſophus prolixè oſtendit *Lib. III. Cap. X.* (ſecundum alios *VII.*) De priori autem, *rectâ* nim. *ratione*, res pariter certa eſt ex eô, quod virtus eſt fortitudo. Jam hæc definitur *habitus electivus conſiſtens in mediocritate*; qualem ſine rectâ ratione dari eſt impoſſibile. Proinde *quæcunque actio vel honeſtate caret*, ſive non eſt ob honeſtum, *vel non eſt ex rectâ ratione*, uti *non*

ex

ex virtute eſt, ita *nec ex fortitudine.* Atqui jam ſubſumimus: *Αὐτοχειρία & honeſtate caret, neque eſt ex rectâ ratione.* Prius probamus, quia in cauſis, quæ pro eâ adduci à Stoicis ſolent, ferè omnibus ſaltim ficta quædam jucunditas, conjuncta aliquando cum utili, latet, (mori enim velle & mori etiam *fugâ malorum majorum, quæ timeas*, quid eſt aliud, quàm jucundum attendere? At ſub malis iſtis continentur *vitæ tædium, ſenectus, morbus, dolor, membrorum mutilatio, paupertas, miſeria, injuria, ignominia, condemnatio publica, & percepta jam ante magna felicitas*; quæ ſcilicet omnia adducere, & pro legitimis *αὐτοχειρίας* cauſis Stoicos urgere, ſuprà Theſi XIX. diximus) aut in quibus non latet nuda jucunditas, ſed ſimul honeſtas, (ut e.c. *ſi pro Patria & amicis* aliquis mortem oppetat) non tamen vera honeſtas ea eſt: cùm, ſiquidem honeſtè mori vellet, mortem potiùs expectare, quàm ſectari & ſibiipſi conſciſcere deberet. Etenim *non terretur quidem honeſtâ morte vir fortis*, (ut *l. c. cap X.* vel, ut alii numerant, *VI.* ait Ariſtoteles) verùm exinde non ſequitur, quod eam vel optet, vel ipſus ſponte & plenâ voluntate quaſi arripiat. Alterum autem ſubſumtionis membrum (quod aiebat, *αὐτοχειρίαν non eſſe ex rectâ ratione*) probamus inde, quod *αὐτόχειρες*, dictis cauſis moti, majus malum minori præferunt; quòd tamen nequaquàm facerent, ſiquidem rectè uterentur ratione. Profectò enim pejor eſt mors ſervitute, ſubjectione, morbô, & ſimilibus. Unde his ita poſitis, firma ſtat concluſio, *αὐτοχειρίαν non eſſe ex fortitudine.*

LI. Expreſsè hæc omnia Philoſophus noſter docuit *l.c. cap.XI.* (ſecundum alios *VII.*) dum dixit: *Quemadmodum igitur diximus, Fortitudo mediocritas eſt, quæ*

ver-

verſatur cùm in iis, quæ fiducia complent animos, tùm in iis, quæ terrorem afferunt, non omnibus, ſed iis, quæ ſuprà diximus; eaque eligit ac perfert, vel quia perferre honeſtum, vel quia non perferre turpe eſt. Mori autem, ut vel paupertatem, vel amorem, vel moleſti quidpiam fugiamus, fortis viri minime eſt, ſed potiùs ignavi. Mollis enim animi eſt, res ærumnoſas & laborioſas fugere. Neque hanc mortem ſuſtinet quiſpiam, quia honeſtum ſit, ſed ut malum evitet ac fugiat. Ad quæ verba ita commentatur Ol. Giphanius: *Locus eſt inſignis de morte voluntariâ: An, qui ſibi manus afferunt, fortes eò nomine ſint dicendi? Negat Ariſtoteles duabus rationibus: cùm, quia mollis & fracti potiùs ſit animi, gravia incommoda, dolores aut calamitates non poſſe perferre, cùm fortis viri propria ſit patientia, ejusque hæc ſint verba:*

Tu ne cede malis, ſed contrà audentior ito.

Tùm, quia non honeſti causâ & decoris, ſed mali fugâ, & moleſtiæ vitandæ causâ mortem ſibi conſciſcere ſoleant. At fortes honeſti causâ omnia agere, jam dictum eſt.

LII. Docet idem etiam Auguſtinus *l. c. cap. XXII.* ajens primò: *Qui hoc in ſeipſis perpetraverunt*, (mortem ſcilicet ob aliquam ex allatis cauſis ſibi intulerunt) *animi magnitudine fortaſſe mirandos, ſed non ſapientiæ ſanitate laudandos eſſe;* poſt autem addens hæc: *Quanquàm, ſi rationem diligentiùs conſulas, nec ipſa quidem animi magnitudo rectè nominatur, ubi quisque non valendò tolerare vel quæque aſpera, vel aliena peccata, ſeipſum interemerit. Magis enim mens infirma deprehenditur, quæ ferre non poteſt vel duram ſui corporis ſervitutem, vel ſtultam vulgi opinionem. Majorque animus meritò dicendus eſt, qui vitam ærumnoſam magis poteſt ferre, quàm fugere, & huma-*

humanum judicium, maximè vulgare, quod plerumque caligine errorus involvitur, pro conſcienita luce ac puritate contemnere.

LIII. Elegantiſſimus quoque locus eſt apud Joſephum *III. de bell. Jud. cap. XIV.* hæc continens: *Itidem timidus eſt habendus, qui mori non vult, cum opus eſt, & qui vult, cum non oportet. At viri fortis eſt, ſemel occidere? Imò verò ignaviſſimi, quantum opinor. Nam & gubernatorem timidiſſimum puto, qui tempeſtatem metuens ante vim turbinis navem ſponte ſubmergit. Quin etiam propriâ manu perire, à communi omnium animalium naturâ diſcrepat.*

LIV. Poſſemus his dicta ſapientum alia addere, & præterea demonſtrare, quod *malum etiam ſocietatibus civilibus veniat ex licitô habitô atque proclamatô propricidiô.* Verùm cùm illis in re aliàs ſatis ſuperque probatâ & declaratâ opus non ſit; hoc autem nemini ferè, qui modò novit, unde damnum pati poſſint ſocietatis iſtæ, ignotum eſſe queat, operâ eâ ſuperſedebimus. Producemus autem notatu dignam ſententiam Philoſophi *V. Ethic. Nicom. cap. XV.* (aliis *XI.*) dicentis: *Qui irâ impulſus* (hunc ſc. exempli locô adducit) *ſibiipſi mortem conſciſcit, hoc ſponte facit contra rectam legem, quod lex non permittit. Injuriam igitur facit. Sed cui? Nonne civitati?* Ad quod non modò affirmativè reſpondet, ſed id probat etiam his verbis: *Itaq; & multat eum civitas, & ignominiâ afficit, qui ſe ipſe exanimavit, ut qui civitatem injuriâ afficit.* Ex his ſanè, verum eſſe, quod diximus, & quod utut probare poſſem⁹ prolixè, probare tamen nolumus, ſapientes cognoſcent.

LV. Nihil autem reſtare videtur aliud, quàm ut ad dicta, rationes & auctoritates, ſuprà Theſi XIIX. XIX. & XXI. adductas, reſpondeamus: id quod paucis faciemus.

Ex rationibus autem hæc unica reſidua eſt, quæ ait: *Vitam & mortem eſſe indifferentia.* Verùm falſum hoc penitùs eſſe, antecedentia ſufficientiſſimè docent. Et opponimus ei meritò ſententiam ſapientiſſimi Socratis, qui *in Platonis Phædone* ita loquens citatur: *Sicuti in hanc vitam ſponte noſtrâ non venimus, ita nec rurſus ex hôc domiciliô corporis, quod tuendum nobis aſſignatum à Deô eſt, ejusdem injuſſu recedendũ; qui nos in hoc corpus induxit, tamdiu habitaturos, donec jubeat emitti.* Cùm quô & Pythagoras conſentit, dum, teſte Cicerone *in Cat. Maj.* vetat *injuſſu Imperatoris de præſidiô & ſtatione vitæ diſcedere.* Ipſe item Tullius *in Somniô Scipionis* ajens: *Piis omnibus retinendus eſt animus in cuſtodiâ corporis, nec injuſſu ejus, à quô ille nobis eſt datus, ex hominum vitâ migrandum, ne munus humanum aſſignatum à Deô defugiſſe videamur.*

LVI. Quin legere etiam in Stoicorum libris eſt his adverſa, nobis autem faventia. Nam Epictetus *I. Diſſertat. cap. IX.* poſtquam introduxit aliquem de vitæ hujus moleſtiis conquerentem, verbis ſequentibus: *Epictete, nos corpuſculi hujus vinculis adſtringi diutiùs non poſſumus. Nonne mors mala non eſt? Nonne cognati Deorum ſumus, atque indè venimus? Sine tandem liberari compedibus iſtis, atq; illuc redire. Hic latrones, judicia ſunt, & quos Tyrannos vocant, qui poteſtatem ſibi in nos ſumunt, ob hoc corpuſculum, & quæ adhærent. Sine, oſtendamus eis, quàm nihil in nos habeant juris. Liber, libet abire.* Hæc reſpondet: *Mihi verò dicendum eſt: Homines ſuſtinete, Deum expectate, donec ille ſignum dederit, & ſolverit vos hôc miniſteriô, tunc ad eum redite. Nunc autem in præſenti tolerate æquô animô, & incolite regionem iſtam, in quâ vos collocavit. Enimverò exiguum tempus hujus incolatus, & facile nec grave iis, qui ſic ſunt affecti.*

LVII.

LVII. Ipſus deinde Seneca, *αὐτοχειρίας* Patronus omnium maxumus, *Epiſtolâ XXX.* laudare legitur Aufidium Baſſum, quod, *ſenectute, & infirmô exhauſtôque corpore licet preſſus, alacer tamen usque ad extremum halitum fuerit.* Verba ejus hæc ſunt: *Baſſus tamen noſter alacer animô eſt. Hoc Philoſophia præſtat: in quôcunque corporis habitu fortem, in conſpectu mortis hilarem latumque, nec deficientem, quamvis deficiatur. Magnus gubernator & ſciſsô navigat velô, & ſi exarmavit, tamen reliquias navigii aptat ad curſum. Hoc facit Baſſus noſter: & eô animô vultuq; finem ſuum ſpectat, quo alienum ſpectare, nimis ſecuri putares.* Si jam hic laude dignus eſt, (uti profectò eſt) ſique Philoſophia hunc ei animum dedit, quomodo Sapientis eſſe poteſt, *ſibi ipſi inferre manus, & finem vitæ facere?*

LVIII. Porrò cùm iis, quæ à Senecâ pro permiſsô & licitô propricidiô adducta ſunt, meliora non dicant ii, quorū mentionem fecimus Th. XXI. non opus eſt, ut eorum causâ ſermonem protrahamus. Oppoſita potiùs ipſis ſint omnia, quæ oppoſuimus Senecæ & aliis. Neque enim cauſa, quam prætendunt Ebræi, eſt ſufficiens; quin potiùs & illi regerimus iſta Auguſtini *l. c. cap. XXI. His exceptis, quos vel lex juſta generaliter, vel ipſe fons Juſtitiæ Deus ſpecialiter occidi jubet, quisquis hominem, vel ſeipſum, vel quemlibet occiderit, homicidii crimine innectitur.*

LIX. Quantum autem ad Legem Juſtinianeam, eam quidem interpretari nobis non ſumimus. Interpretantur autem ita, uti diximus, multi JCtorum, & qui inter eos plurimùm eminet, Magnif. Dn. D. Eraſmus Ungepaur *l. c.* Unde ſi id ait ipſa, ſanè non poteſt non eſſe falſa & erronea: quôque nomine etiam rectè ab jam laudatô Doctore accuſatur ac culpatur. Neque ſilentiô prætereundum videtur, quod ex eôdem Jure civili alias leges quidam producant, & ſententiæ iſti opponant. Nimirum *l. 13. ff. ad L. Aquil.* ubi *neminem ſuorum membrorum dominum eſſe* dicitur. Deinde *l. 6. §. 7. ff. de re milit.* ubi *ſuiipſius offenſio* prohibetur. De quibus verò judicium iis, ad quos explicare eas attinet, remittimus. Interim non immeritò fortasſis nunc provocamus ad leges & conſuetudines gentium aliarum, quæ & deteſtatæ ſunt *αὐτοχειρίας*, &

eam etiam in defunctis voluerunt puniri. Sanè enim, *contra legem agere, qui ſe ſponte occidit, & quia injuriâ civitatem afficit puniri, & ignominiâ rectè multari à civitate*, Ariſtotelem dicere Theſi LIV. oſtendimus. Cujus ſententiam ut explicet melius Cl. Giphanius, paulò ante cit. *l. 13. ff. ad L. Aquil.* adducit, & ex eâ declarat, ajens: *Quod ipſum confirmari poteſt & ex Juriſconſultorum dicto, quod nemo ſuorum membrorum ſit Dominus; omnes ſimus Reipublicæ. Atque ita ſe ipſe interficiens furtum quodammodò facit Reipublicæ: illique proinde facit injuriam.* Euſtratius item *eum civitatem injuriâ per hoc afficere, quod civitatem cive privet, & eâ proinde mulctâ, ut ſepulturâ civium indignus habeatur, aut aliquâ aliâ hujuſmodi contumeliâ afficiatur, quæ mortuis inferre poteſt*, ait *Comment. in h. l.* Ab aliis autem gentibus pariter hanc, & à nonnullis graviorem pœnam nefario facto illi ſtatutam eſſe, cùm nos ob chartarum penuriam probare nequeamus, probatum videri poteſt apud laudatum Giphanium *in cit. cap. Ariſtot. pag. 445.* Hug. Grotium, & Tob. Magirum *ll. ſuprà citt.*

LX. Nos obſignamus tandem hanc Diſputationem verbis Auguſtini *l. d. cap. XXVI. Hoc dicimus, hoc aſſerimus, neminem ſpontaneam mortem ſibi inferre debere, velut fugiendô moleſtias temporales, ne incidat in perpetuas. Neminem proptèr aliena peccata, ne hôc ipsô incipiat habere graviſſimum proprium, quem non polluebat alienum. Neminem propter ſua peccata præterita, propter quæ magis hâc vitâ opus eſt, ut poſſint pœnitendô ſanari. Neminem velut deſiderio vitæ melioris, quæ poſt mortem ſperatur, quia reos ſuæ mortis melior poſt mortem vita non ſuſcipit.*

D. O. M. L.

Ad Humaniſſimum & Eruditiſſimum Dn. RESPONDENTEM, AUCTOREM hujus Diſputationis; Amicum & Commenſalem ſuum dilectum!

QUàm licitum non ſit vitâ privare ſeipſum;
His theſibus ſolidâ dexteritate probas.
Nam Jus NATURÆ vetat hoc, ſanctumque SUPREMI
Mandatum eſt: *necent*; ſic volo; *nemo ſibi*!
Sed Stygius latro, leo, mendax ac homicida.*
Is ſolet ad vetitam ſollicitare necem.
Non igitur Satanæ, ſed JHÔVÆ ſancta VOLUNTAS
Eſt facienda: † caput contere; tutus eris!

* *Job. 8. v. 43. 1. Petr. 5. v. 8. 9. Luc. 10. v. 30.*

† *Aug.* in Pſ. 103. *Quid* eſt caput calca? *Ipſam ſuggeſtionem contemne!*

Benebolentiæ teſtandæ causâ faciebat,

Chriſtianus Chemnitius, D.P.P. Paſt. & Superint.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE